



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-705479-p0001-0

DFG

1795.

1. Pellenmannus, Ius. Lud. Sm., fac. iur. pro cancellarius:
*(De scriptura mensae, ejusque cum negotio mercato-
rio, quod scutio vulgo vocant, compensatione).*
Programma, quo solemnis factiole Mauritii
Gothpetri Baueri indirest.
- * 2. Bonnus: *Responsa iuriis 48 et 49. Programma,*
quo ordinarius senior ac reliqui fac. iur. anno
et memoriam Bonnianam . . . recentem
indirent.
- * 3. Haugk, Iwanus Corvus de: *Responsa iuriis*
51, 52 et 53. *Programma, quo ordinarius senior*
et reliqui factores fac. iur. Iwanus Corvi '6.
de Haugk examen . . . superatus testantur.
4. Green, Aug. Tridens, Sigismundus, fac. iur. procan-
cellarius: *(De portione cuiusque statutarum
inclusa immobilia secundum statuta loci,
ubi sita sunt, constituta. Programma, quo
solemnis factiole Iuanellis Iherkardi Lachr
indirest.*

1795^o

*

5. Ploessingius, Antonius Huncus: Responsum iuri
54, 55, 56 et 57. Programma, quo ordinarius iurisper
procancelarius senior et reliqui doctores fac iur-
suum in Doctoralia Antonii Huncii Plenigii
indicunt.

17

10

6. Apel, Joannes Meytius: De origine certiorium
Iudicium coram que in primis in Savonia
conditione

11

7. Bauer, Huncus Episcopus, fac iuri procancelarius:
Responsum iuri 58 et 59. Programma, quo sollem-
nia Doctoralia Christiani Gottlieb Huebneri
indicit.

12

8. Bauer, Martinus Episcopus: De legato uno
fructu.

13

9. Baumann, Joannes Fridericus Meytius: De habitatione
orinum in cistibus ministrorum viaj
bona puerorum concatione

14

1795.

10. Bienerus, Iacobus Augustus: De statu et portio-
niis captivorum in bello solenni imperii
cum gente extranea. Programma, quo solennia
doctoralia Iacobi Augusti Apollii indicit.
11. Bienerus, Christianus Gottlob, fac. iur. procurand.
Cariss: De iuribus viduarum civicarum in feodo
praesertim Saxonico marito fundi possessore
mortuo. Programma, quo solennia inauguralia
B. Serici Augusti Etatufii indicit.
12. Bienerus, Christ. Gottlob: De iusta Henrici
Mauriis in Thuringia successione.
13. Eichhoff, Fridericus Augustus: De puncto deroga-
tionis disquarens in appellatione ad summa
imperi tribunalia
14. Erhardus, Christianus Daniel, fac. iur. procur.
Cariss: De ejus, qui delicti maiestatis falso
civem accusaverat, apud Athesinenses poena.
Programma, quo solennia inauguralia Coroli
In Dorci Periti indicit

1795

15. Erhardus, Christianus Daniel : De natione legum
civilium.

16. Erhardus, Christianus Daniel : De finibus artis
juridicis & legum talore ponendis.

17. Erhardus, Christianus Daniel : De delictis in vir-
mentis humanae commissis

1795, 1.

579

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN
I. V. D
CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENS. CANONICO CAPITVLARI
COD. PROFESSORE ORD. COLL. ICTOR. SENIORE, ACADEMIAE DECEMVIRO
SVMMOS IN IVRE HONORES
CVM SPE
SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO
OBTINENDI
PRAECLARISSIMO CANDIDATO
MAVRITIO GODOFREDO BAVERO
LIPSIENSI
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO
A. D. XXVII. MARTII MDCCCLXXXV
COLLATOS
INDICVNT

БИБЛІОГРАФІЯ
ЗАКОНОДВІННЯ ПІД КОМІСІЮ
ЗАСУДЖЕННЯ ТА ПІДПИСАННЯ

13

ELECTORVM

CAPVT V.

*De scriptura mensae, eiusque cum negotio mercatorio,
quod scontro vulgo vocant, comparatione.*

Vetus et frequens est de fluxa hominum fide, maximaque suum morosis a debitoribus recipiendi difficultate, querela, adeo ut iam TERENTIVS (*Phorm. I. 2. 5.*) scripserit:

— *Vt nunt sunt mores, adeo res reddit,
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.*

Sed aut magnopere fallor, aut multo rariores eiusmodi forent querelae, si cautius suis in rebus versari, nec tanta, quanta reapse fieri saepenumero videamus, negligentia vti creditores consueuissent. Facit huc pulcher apud PLVTARCHVM (in libello *de vitioso pudore*) locus, quem quidem hic retulisse haud superuacuum erit. PERSAEVS scilicet, cum cuidam amicorum suorum argentum mutuo daret, contractum in foro et apud mensarios confici voluit; cumque is miraretur et di-

A 2

ceret:

IV

ceret: Adeone, PERSAEE, omnia *volumas*, i. e. ad iuris formulam et tam exquisita cautione? Omnino, respondit, vt amice recipiam, neque iure in repetendo experiri cogar. Multi enim, omissa ab initio ob pudorem vitiosum cautione, postea lege agere, suscepit insuper inimicitii, necesse habuerunt.“ Pertinet huc etiam illud PLAVTI *Trin. IV.* 3. 44.

Si quis mutuum quid dederit, sit pro proprio perditum.

Cum repeatas, inimicum amicum beneficio inuenis tuo.

Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio,

Vel illud, quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris.

Sapienter igitur olim Romani maximam dederunt operam, ne malis a debitoribus eluderentur dolis atque fallaciis, eamque in rem varia excogitarunt remedia, quo praecipue stipulatio, litterarum obligatio, scriptura mensae pertinent. Nobis quidem in praesenti de postrema hac fidei publicae firmandae ratione, cuius naturam ac indolem pauci profecto satis cognitam habent atque perspectam, exponere animus est. Quandoquidem autem, vt bene monet CICERO *de Or. 2. 25.* in definitionibus hoc praecipit ratio atque doctrina, vt vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, vt neque absit quidquam, neque superfit, idem hic quoque in vsum deducere iuuabit.

Dicimus igitur, scripturam mensae esse *solutionem s. numerationem per argentarium factam, litterisque confignatam;* qua de re vt iudicare quilibet facilius possit, locos principes, vbi eius mentio fit, in medium proferre iuuabit. Ac primo quidem

VLPIA-

VLPIANVS in l. 27. §. 1. D. de furt. *Inde, inquit, potest quaeri, si quis, cum alias probationes mensaeque scripturam haberet, chirographi furtum passus sit, an aestimari duplo chirographi quantitas debat: et nunquid non, quasi nihil interfit: quantum enim intereft, cum possit debitum aliunde probare?* DONATVS porro ad TERENTII Adelph. II. 4. 13. *Tunc in foro et de mensae scriptura magis, quam ex arca domoque vel cista pecunia numerabatur, idemque ad TERENTII Phorm. V. 7. 29. Rescribi, i. e. reddi, s. per mensae scripturam dari* ^{a)}.

Vti scriptura mensae poterant non modo ii, qui alicui mutuum dare volebant, sed debitores etiam, ab aere alieno se liberaturi, alterique suum reddituri. Soluebant scilicet vel de domo ex arca, (nostrī dicunt *per caſſa*,) vel per argentarium, penes quem pecuniam eum in finem depositam habebant. *Solutionis verbo*, inquit VLPIANVS in l. 176. D. de V. S. *satisfactionem omnem accipiendam placet: solvere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit.* Nec hinc alienum est, quod in l. 99. D. de solut. legimus: *Debitorem non esse cogendum, in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit.* Haud quidem desunt, qui debitoris loco substituere hic malint *creditem*; sed, ni fallor, sine causa. Ait enim ICtus, debitorem (futurum) cogendum haud esse nummos mutuo sibi dandos

A 3

aliam

^{a)} Pertinet hoc etiam locus GELLI N. A. XIV. 2. *Is clamitabat, probari debere pecuniam datam confusis modis, expensatione, mensae rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, testium interceſſione.*

aliam in formam, ac foenerator promiserat, accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Quemadmodum scilicet hodie diuersae nummos formae inter se contendere, praeuiaque, ut vulgo loquuntur, reductione, rationem aerariam ^{b)} definire solemus, ita antiquos etiam idem facere solitos esse, multi docent veterum scriptorum loci, et inter hos maxime locus CICERONIS in *Or. pro Quintio cap. IV.* de quo in *Miscellaneis cap. XII.* vberius exposuimus.

Iam si quis ex arca soluere aut nollet, aut non posset, eum, cui solutio facienda erat, data perscriptione (*einer Afsignation*) ad argentarium pro se soluturum mittebat, aut ipse hunc in finem eo ducebat.

Sed antequam vterius procedamus, de argentariis, quorum toties iam mentionem fecimus, quinam fuerint, qua in re laborant, quodque eorum fuerit officium ^{c)}? nonnihil dicendum est.

Erant igitur argentarii, s. argentariae mensae exercitores, personae publicae ^{d)}, quae tabernas et mensas suas in foro posu-

b) Das Münzverhältnis, die Münzdifferenz.

c) Conf. I. G. SIEBERI diff. binas de argentariis, quarum prima an. 1737. altera 1739. Lipsiae prodidit, insertas nunc I. M. G. BESEKE Theſ. iur. camb. Berolini 1783. editio, no. 1. et 2. necnon HERM. HBERT diff. binas de argenta-

riis veterum, in OELRICHII Theſ. diff. iurid. ſelect. Vol. II. Tom. I.

d) Ita SIEBERVS diff. I. §. 9. et alii complures. Priuates contra homines fuſſe maulti HBERTVS l. c. p. 30. quocum nunc haud lubet ſuper re tam parui momenti in arenam dicideſſe. Ego certe, argentarios homines fuſſe

positas habebant, apud quas foenebres deponebant pecuniae, quas per partes erogabant et collocabant, quarumque probatio scriptura earum codicibusque continebatur. *I. 4. §. 1.*
f. 9. §. 1. l. 10. §. 1. D. de edend. Alio nomine *mensarii* vocabantur, a mensa, cui, negotia sua tractaturi, quotidie adstabant; quo etiam factum, ut nonnumquam s. ioci s. contumeliae causa *canes* dicerentur *mensarii* ^{e)}), ideo scilicet, quod, instar canis cibum captantis, occasionem lucri expectantes mensis suis perpetuo fere adstabant, et non nisi raro inde recedebant. Haud quidem me fugit, SAM. PITISCVM in *Lex. Antiqu. Rom. Tom. II.* pag. 182. mensarios ab argentariis distinguere, magnumque inter eos suisse discrimen opinari. Sribit enim: *Mensarius differt ab argentario; publicam enim rationem conficit, et rei nummariae publicae curator fuit, argentarius priuatam, et negotiationis priuatae curator fuit.* Itaque *mensarii* Romae, ut res tuli, modo quinqueuiri, modo triumuii sunt creati: *argentarii*, ut etiam reliqui mercatores, nullius lectione, iudicio suo, quaestu tantum priuato induci, rem nummariam iam inde ab initio *Vrbis* exercuerunt. Idem vero scio, PITISCVM magnum hic errasse errorem, in quem sane haud incidisset, si vel leuiter inspexisset *I. 10. D. de edend.* ubi Ictus: *Argentarius rationes edere iubetur; nec interest, cum ipso argentario controversia sit, an cum alio.* Ideo autem argen-

tarios

suisse priuatos dicas, an publicos, floc-

cum haud interduim.

e) SVIDAS in *Lex. Tom. III.* pag.
497. *Trapezita*, mensa, et *trapezitae*

*xύων, canis mensalis, τραπεζίτης autem
per t., trapezita f. mensarius, et τραπε-
ζίτης κύνες, canes mensarii.*

VIII

tarios tantum, neque alios ullos absimiles eis edere rationes cogit, quia officium eorum atque ministerium publicam habeat causam, et haec principalis eorum opera est, ut actus sui rationes diligenter confiant.

Nummularii ab argentariis an fuerint diuersi, vel ideo potest dubitari, quod inter eos distingueret videtur PAVLVS in *l. 9. §. 2. D. de edend.* Nummularios quoque non esse iniquum, cogitationes edere, Pomponius scribit: *quia et hi nummularii, sicut argentarii, rationes conscient, quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur, et frequentissime ad fidem eorum decurritur, aliis contra locis, e. g. in l. 7. §. 2. D. deposit. et l. 24. §. 2. D. de reb. auct. iud. poss.* nummularios mensariosque pro iisdem haberi videas. Quid igitur? An haecce capita aduersa fronte inter se pugnare dicemus? Nequaquam. Placet potius, quod scribit H. HVBERTVS diff. I. §. 9. argentarios fuisse vel maiores, vel minores; illos proprie argentarios, hos nummularios appellari consueuisse; horum dignitatem minorem officiumque fuisse angustius, nec ultra permutationem probationemque nummorum extensum, qua in re ipsi iam praeteruerant BVDAEVS, CVIACIVS, FABROTTVS, SALMASIVS, alii. Si quis tamen cum I. O. WESTENBERGIO *Dig. Lib. 2. tit. 13. §. 23.* vel hac ipsa ratione, quod argentariorum dignitas maior, officium amplius, nummulariorum contra dignitas minor, officium angustius fuerit, discriben inter eos statuere malit, ille me haud valde habebit repugnantem. Quid enim? Nonne hodie quoque pistores nonnullos, aliosque id genus homines,

num-

nummorum permutatione lucrum quaerere videmus, quos tamen inter mensarios, (*Banquiers*) proprie ita dictos, nemo facile retulerit? Ceterum, quam celebres Romae tabernae fuerint argentariae, vel FLORI docet locus *Lib. 2. cap. 6.* *Parua res dictu, sed ad magnanimitatem Populi Romani probandam satis efficas, quod illis ipsis, quibus obfidebatur, diebus ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romae fuit, hactenque subiectus inuenit emorem.* *Voluit Annibal contraria fiduciam imitari, subiecitque argentarias Vrbis tabernas; nec sector inuentus est.*

Neque vero Romae tantum mensarii s. argentarii fuere, sed in Graecia etiam eiusmodi inuenimus homines, qui a τραπεζα, i. e. mensa, τραπεζίται vocabantur, et cum apud DEMOSTHENEM in *Or. πρὸς Κάλλιπον*, tum apud ISOCRATEN in *Or. trapezitica*, ut nihil iam dicam de aliis innumeris veterum scriptorum graecorum locis, obuenient.

Fides argentariorum, certe apud Romanos, maxima erat, adeo ut saepissime ad eorum codices rationesque decurseretur, quam in rem Praetor edixerat: *Argentariae mensae exercitores rationem, quae ad te pertinet, edant, adiecto die et confule.* *I. 4. D. de edend.* Nihilo tamen minus interdum siebat, ut foro cederent ^{ee)} bonaque sua creditoribus diuidenda relinquerent, qua in re ita procedebatur, ut ii, qui pecunias suas apud

^{ee)} Notari hic meretur, quod refert SVETONIVS in *Galba cap. 9.* Num. manus amputauit, mensaque eius affixit.
mulario, non ex fide versanti pecunias,

apud mensam argentariam tantummodo deposuerant, illis, qui crediderant vslurasque acceperant, praeferrentur. En! verba VLPIANI in l. 24. §. 2. D. de reb. auct. iud. poss. In bonis mensulariis vendendis post priuilegia potiorem eorum caffam esse placuit, qui pecunias apud mensam, fidem publicam secuti, deposuerunt. Sed enim, qui depositis nummisis vsluras a mensulariis acceperunt, a certis creditoribus non separantur: et merito; aliud est enim credere, aliud deponere, nec non in l. 7. §. 2. D. deposit. Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum, hoc est, eorum, qui depositas pecunias habuerunt; non quas foenore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos exercebant, et ante priuilegia f) igitur, si bona venierint, depositariorum ratio habetur; dummodo eorum, qui vel postea vsluras acceperunt, ratio non habeatur, quasi renunciauerint deposito.

Cum haud raro fieret, vt ciues Rom. mensis suis argentiis aut nummulariis vnum ex libertis suis praeponerent, et aliquando eiusmodi libertus, rem agens patroni sui, alicui ita scripsisset: HABES penes mensam patroni mei denarios mille, quos numerare debebo pridie Kalendas Maias, „patrono fine

f) En VLPIANVM bilinguem! In l. modo laud. 24. dixerat post priuilegia, nunc ait ante priuilegia; quae quomodo sint concilianda, dicat, qui habet Spheingen. Ego quidem errorem manifestum, in editione Pandectarum Taurelliana etiam extantem, agnosceré haud dubito; sed cui de-

beatur, VLPIANO ipso, an librario, an typographo, haud facile dixerim. Recte autem in l. 7. D. depos. legitur ante priuilegia, propterea quod rem aliquam deponens regulariter separationis iure gaudet. Vid. WESTENBERG Digest. 42. 5. 5.

sine herede defuncto, venditisque eiusdem bonis, quaerebatur, an ex epistola sua iure conueniri possit libertus? Respondit SCAEVOLA in *I. 20. D. de inf. act.* libertum nec iure his verbis obligatum, nec aequitatem eum conueniendi superesse, cum id institoris officio ad fidem mensae protestandam scripsisset.

Ad officia argentariorum quod attinet, tot fuere atque tam varia, vt ea vel enumerare omnia admodum difficile foret. Etenim non modo soluebant, recipiebant, constituebant, cauebant, intercedebant pro aliis, sed occupabantur etiam probatione et permutatione numorum, auctionibus item et foenoratione pecuniarum; verbo, omnibus fere, in rep. qui siebant, contractibus ministerium praestabant, ipso teste IVSTINIANO in *Edict. 7. cap. 4. et I. vn. C. Neg. ne mil.* Maximam autem operam dabant mensae negotio, vt loquitur PAPINIANVS in *I. 77. §. 16. D. de legat. 2.* Quemadmodum scilicet nostris temporibus homines bene nummati pecunias suas aut foenorationis, aut molestiae, illas domi custodiendi, vitanda causa in trapeza aliqua publica (*vulgo Banca*) depo-nunt; ita olim Graeci aequae ac Romani pecuniam suam apud mensam aliquam argentariam deponere, eiusque exercitori custodiendam, aut foenore collocandam tradere solebant, qua quidem ratione hoc simul consequebantur, vt, si cui aliquid soluere, aut mutuum dare vellent, id sine numeratione pecuniae et absque omni difficultate facere possent. Nihil enim ad id consequendum opus erat, nisi vt aut ope perscriptio-

nis, aut in forum prodeundo praesentes argentarium de eo, quod fieri vellent, certiorem redderent. Perscriptionis formula qualis nostris moribus sit, neminem fugit, neque, opinor, errauero, si Romanos simili usus esse dixerim. Exstat, ni fallor, initium eiusmodi formulæ apud HORATIVM Serm. II. 3. 69.

*Scribe: decem a Nerio: non est satis: adde Cicutæ
Nodus tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.*

Male verba haec subobscura (loco scribi legens scribi) explicat GVL. BAXTER in not. ad Horat. h. l. p. 429. edit. Gesner. Scribere inquiens, iuris verbum est, pro mutuum sumere; rescribere vero est reddere debitum. Verum hoc loco scribi decem a Nerio est, Tu scribi decem tabulas siue syngraphas, quales scribebat debitoribus suis foenerator Nerius: nam a Nerio est in morem Nerii.⁴⁾ Haud multo melius GESNERVS in not. ibid. Obscurum est, quia tacet Horatius, et repugnantia dicunt veteres scholiaстae, qui fuerint Nerius et Cicuta. GRONOVIUS de Pec. vet. p. 644. Ictos facit, BENTLEIVS ad Hor. Epist. 2. 1. 105. foeneratores g). Sententia non multum diuersa, utrum eligas: Scribendas cura, o creditor, tabulas decem, quales a Nerio, centum, quales a Cicuta scribi solent; tamen falleris⁵⁾. Nec placet interpretatio, quam nuper dedit cele-

g) Conf. RICH. BENTLEII not. ad Horatii Epist. II. 1. 105. Tom. II. p. 96. edit. quae Lips. 1764. prod.

celeberrimus c. M. WIELAND in libro, cuius titulum, vna cum versione huius loci, in margine adscriptimus ^{b)}. Ego vero, vt libere dicam, alia omnia sentio. In eo scilicet versatur HORATIVS, vt malum atque fallacem exagitet debitorem, mo-neatque creditorem, omnia bona fide agentem, nec mali quidquam suspicantem, vt sibi caueat, nec fraudibus atque falaciis locum faciat. Scribe, inquit, perscriptionem, cuius initium est: *Decem (aurei) a Nerio (argentario,) scilicet solvantur Sempronio, mea de pecunia, quam apud Nerium depositam habeo, rel. non est satis, l. nequaquam hoc sufficit.* *Addit tabulas centun,* a Cicuta, debitorum constringendorum causa iuris nodos nectere solito, scriptas. *Mille addit catenas,* i. e. iuris laqueos. Nihilo tamen minus sceleratus ille Proteus omnia haecce vincula facile effugiet, teque eludet. — Ita, ni fallor, omnia optime cohaerent, nec hoc in loco, qui tot illustria exercuit ingenia, quidquam restat difficultatis.

Calamo vti si nollet, aut non posset pecuniam crediturus aut redditurus, ipse in forum ad argentarium prodibat; quo pertinet illud TERENTII *Phorm.* V. 7. 28.

D. Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi

B 3

Argen-

b) Vid. Horazens Satyren, a. d. Lat. reinlichen übersetzt — von C. M. WIELAND, Lips. 1794. P. II, pag. 83.

*Laß einen solchen Bürger zeichenal
dem Nerius — laß ihn dem knotischen
Cicuta hundertmal verschrieben seyn;*

*verstrik ihn noch in rausend solche
Bande;
der Schelm von einem Proteus wird
dir doch
aus diesen Fesseln zu englischen
wissen.*

Argentum iube rursum referibi, Phormio.

P. Quod me ego perscripsi porro illis, quibus debui?

aut argentario domum secum adducebat, vt ille apud PLAV-
TVM in *Afinar. II. 4. 32.*

Nam vidi huc ipsum adducere Trapezitam.

Iam facta aut perscriptione, aut mente ore declarata, argen-
tarius summam, de qua quaerebatur, ei, cui cessa fuerat aut
adsignata, soluebat, aut in eum transcribebat, atque rem
omnem, vti gesta erat, in codicem suum referebat, quo fa-
cto demum scriptura mensae absoluta videbatur atque perfe-
cta. Si cui autem mirum videatur, qui fiat, vt verbum scri-
ptura de ipso numerandi actu usurpetur, illum meminisse
oportet, numerationem sine scriptura fieri haud potuisse, simi-
lique ratione apud cic. pro L. Manilia cap. 6. in verb. *Ita neque*
ex portu, neque ex decunis, neque ex scriptura vectigal conseruari
poteſt „rō scriptura significare das Trift- und Weidegeld, propter
ea quod, cum filiae essent Romanorum, pastores numerum
pecudis apud publicanos, qui filias illas redemerant, profi-
tebantur, hi autem in fabulis suis scribebant, vt singula in ca-
pita pro pastione certam pecuniam acciperent.

Ceterum notare hic iuuat, eiusmodi transcriptiones pe-
cuniae aut nominum nonnumquam dicit tantum gratia factas
esse, ceu docet exemplum apud LIVIVM 35. 7. obuium. Le-
gitib⁹ ſeſilicet, quibus foenoratorum adſtricta erat auaritia,
initio ciues tantum tenebantur Romani. Inuenta erat fraus,

vt

ut in Socios, qui his legibus haud tenerentur, nomina transcriberent, et ita libero foenore debitores vexarent, donec tandem M. SEMPRONIUS Tribunus Pl. plebiscitum conderet, ut cum Sociis ac Latino nomine pecuniae creditae idem ius, quod cum ciuibus Romanis, esset.

Denique nec hoc silentio praetermittendum, argentarios f. mensarios interdum eos, quibuscum rationem mensae haebuerant, certiores reddidisse, quis alteri debeat, nec non pro causae qualitate, nihil sibi ab altero deberi, confessos esse. En! eiusmodi litteras ab argentario ad eum, quocum ipsi negotia intercesserant, scriptas, et in L. 47. §. 1. D. de pact. reliquias: *Lucius Titius Gaium Seium mensularium, cum quo rationem implicitam habebat propter accepta et data, debitorem sibi constituit, et ab eo epistolam accepit in haec verba: Ex ratione mensae, quam mecum habuisti in hunc diem, ex contractibus plurimis remanserunt apud me ad mensam meam trecenta octoginta sex, et vñsrae, quae contierint, sumnum aureorum ⁱ), quam apud me tacitam habes, refundam tibi. Si quod instrumentum, a te emissum, (id est scriptum) cuiuscunque summae ex quacunque causa, apud me remansit, vanum et pro cancellato habebitur ^k.*

Sed de scripturae mensae indole atque natura ad necessitatem satis iam dictum. Evidem multa addere possem, ni ea res longius me ab instituto traheret. Supereft enim, de eius

ⁱ) Sunt, qui hic loco aureorum legere malint autem eorum, sed, ni fallor, absque idonea ratione.

^k) En formulam confessionis, quam nos einen Mortification - Schein dicere solemus.

eius comparatione cum negotio mercatorio, quod *Scontro* vulgo vocant, dicamus.

Sunt scilicet, qui hoc nostris temporibus idem, quod apud Romanos scriptura fuerit mensae, esse existimant. Ita IO. AVG. ERNESTI in *Opusc. Orator.* pag. 402. ¹⁾ *Sicut multitudo pecuniarum sua sponte reperit solutiones per scripturam mensae (lo scontro), sic locorum longinquitas, propter eas, quas diximus, causas, permutationes; nec non I. G. SIEBER in *diff. II.* de argenteriis eorumque officiis §. 13.* Modum, quo apud mensarios tollebatur obligatio, mercatores nostri in hunc usque diem afferuant. Solent enim isti hac ratione commodo suo inseruire, ut, cui debent, ad alium, qui sibi ex aere alieno obstrictus est, cum assignatione quadam ablegent, a quo recipiat. Si crediti debitumque summa aequalis est, omnis obligatio, quae erat antea, nunc per compensationem tollitur, si minus, alter eorum vel remanet debitor, vel quod ex detracta pecuniae summa adhuc supereft, in aliari occasionem sibi afferuari curat. Hoc negotium *Scontro* vocant, et talis compensatio, qua vni scribitur, quod alteri rescribitur, non inter duo tantum, sed inter plures etiam, qui sibi iniucem debent, expeditur. Sed aut magnopere fallor, aut omnes, qui ita sentiunt, nec scripturae mensae, nec scontrationis naturam ac indolem omnino perspectam habent. Illa quid fuerit, supra satis, opinor, ostendi. Scontratio autem est species delegationis, inter mercatores eum in finem congregatos fieri solita, qua debitor creditori suo consentienti alium substituit debi-

1) Edit. quae L. B. 1767. prodit.

debitorem, cuiusque effectus est, ut, nisi intercesserit dolus, prior obligatio tollatur, et si debitor delegatus postea non sit soluendo. I. C. FRANCKE *Inst. iur. camb.* I. 3. 8. scribit: *Scontratio est conuentio legitima trium minimum^{m)} personarum, qua singuli certam pecuniae summan, ab altero ex reliquis acceptam, alteri solutam reputant.* In *Mandato Sax.* d. 23. Dec. 1699. emisso dicitur *affignatio in vim dationis in solutum facta.* Forma eius definitur in *Ord. Camb. Lips.* §. 24. vbi vid. quae dixi in animadvers. adiect. pag. 53. iunct. p. 23. sq. Iam si quis scontratiōnem cum scriptura m. contenderit, nae is, quantum altera ab altera differat, nullo negotio intelliget. Scriptura mensae est numeratio per argentarium facta, et sine huius interuentu fieri nequit; Scontratio contra est delegatio, quae fit folos inter mercatores, absque numeratione pecuniae. Scriptura m. praevia plerumque perscriptione fit ab argentario, rem in codicem suum referente; Scontratio autem ab iis ipsis, qui eam peragunt, litteris consignatur, atque in libros hunc in finem comparatos resertur. Verbo, tantum duae hae res inter se differunt, ut si quis paullo perspicacior recte eas aestimet, parum similitudinis deprehensurus sit. Evidem, si scriptura m. necessario cum instituto aliquo recentiore comparanda esset, eam potius trapezae publicae, quam vulgo *eine Giro-Bank* vocare solent, subsimilem esse dixerim, quod facile probauerit, qui aut ipse scit, quid verbo *Giro-Bank* significetur,

^{m)} Possunt enim plures eiusdem negotii participes fieri. Vid. *Animadvers. meas ad O. C. L.* pag. 54. sq.

ficitur, aut descriptionem in margine adiectam legere voluerit ⁿ⁾). De verbo *Scontro* qui plura scire cupiat, ille CANGII *Glossar. med. et inf. lat. h. v.* adeat. Ceterum si vera scribit i. c. HERRMANNVS in libro, cui nomen dedit *Allgemeiner Contorist*, Tom. III. pag. 254. nec ab aliis, quos interrogaui, verba mihi data sunt, inde ab aliquo tempore scontratio, qualem supra descripsimus, inter mercatores nostros haud amplius frequentatur ^{o)}, sed nomina ope assignationum, aliisue modis, delentur, aut in alios transferuntur.

Ac haec quidem praefari placuit, cum indicendi essent honores, Viro praeclarissimo atque consultissimo

DOMINO
MAVRITIO GODOFREDO BAVERO
LIPSIENSI
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

qui suo tempore locum in Collegio nostro obtinebit, a nobis collati. Ne quem autem lateat ratio, qua vitam suam, lau-

n) Wenn die Kaufmannschaft unter Aufsicht der Obrigkeit an einem sicheren Ort Summen Geldes niederlegt, jeder nach seinen Umständen, über welche Buch und Rechnung gehalten wird, dergestalt daß, wenn einer dem andern zu zahlen hat, er es nur auf dessen Rechnung darf übertragen lassen, so heißt es eine *Girobank*. Wenn aber diejenigen, die ihr Geld in die Bank legen, Zettel von einem gewissen Belauf erhalten,

ten, welchen ein jeder, der diesen Zettel zur Bank bringt, von derfelben in Empfang nehmen kan, ohne daß in den Büchern der Bank von diesen Zetteln, und wie viel deren jeder in Händen hat, Rechnung geführt werden darf, so wird es eine *Zettelbank* genannt. Ita fere I. G. BÜSCHE in der Darstellung der Handlung P. I. p. 19.

o) Rectene, an secus, hoc alii videtur.

laudabiliter adhuc actam, instituerit, ipsum audire iuuabit ea de re ita exponentem:

Natus sum in hac vrbe anno huius Saeculi sexagesimo nono. Patrem veneror HENRICVM GODOFREDVM BAVERVM, Illustris in hac ciuitate literaria ICtorum Ordinarii, et matris praeematuro morte mihi eruptae FRIDERICAE ELEONORAE, natae GLAFFET, memoriam summa colo pietate. Moerorem vero ex hacce mea orbitate maxime prouidentia abstulit eo, quod in SOPHIA FRIDERICA ROCKENTHVMIA, cum qua secundas pater optimus celebravit nuptias, matrem mihi restitueret, cuius benignitati maternae numquam fatis me responsurum esse intelligo. Ad annum usque aetatis decimum octauum, priuatis usus sum doctoribus, inter quos imprimis de me meruisse laeto gratoque animo recordor HAASIVM et D. TILLINGIVM, quem ob eximium in me fauorem et egregia in me merita continua semper amplectar reverentia. Postea vero interfui scholis a b. BOETCHERO institutis. In quibus praeter aliorum praceptorum benivolentiam expertus sum insignem fauorem WEISHHVNII, cuius benignitatem nulla umquam ex animo meo delebit obliuio. Inter cives Academiae iam antea a b. POHLIO receptus ipsa studia academica suscepit, ubi iurisprudentiae in primis operam nauare institui, ita tamen ut Philosophiae et literarum elegantiorum studium ad illam adiungerem. Hunc finem ut consequerer, scholis interfui iuridicis, philosophicis atque philologicis multorum ex iis praceptoribus, quorum egregia doctrina nostra literarum Vniuersitas gaudet, et vniuersa scientiarum respublica laetatur. Nimirum Praeceptores habui in Iurisscientia PVITTMANNVM, BIENERVM, RAVIVM, EI-NERTVM, b. SCHOTTVM, HAVBOLDVM, SAMETVM, SIEGMANNVM, FLECKIVM, nec non scholis a Patre carissimo institutis summa cum utilitate interfui! In Philosophia et reliquis philologicis atque historicis scientiis PLATNERI, WENKII, BECKII, quorum omnium illustris me ornauit fauor, memoriam semper gratissima

082

*tissima mente venerabor. Ceterum DINDORFIO et FORBIGERO,
qui priuatissimis me docuerunt scholis, non possum non gratias agere
summas, ob singularem benignitatem, qua me dignati sunt. Peracto
cursu academico, et publice institutis praeside Ill. GEHLERO quae-
stionibus, super libello de subsidiaria foeminarum in feudis successione,
examen subii Ao. 1792. quod pro candidatura audit, et cui annexa
est spes succedendi in illustri ordine ICtorum, qui prima laurea me or-
nauit. Anno deinde post hocce examen exceptip illud, quo licentiam
nancisceret summos petendi turis honores. Ex hoc tempore operam
adhibui, ut priuatiss laboribus, in quibus dirigendis HAASIVS, Pa-
tronus causarum, amicitia sua mihi non defuit, studerem iis, quibus au-
xiliante summo numine reipublicae aliquid utilitatis praeflare valiturnus
esse mihi viderer.*

Hunc igitur, superato magna cum laude vtroque exa-
mine, nec non defensa nuper diff. de legato v/susfructus follemini,
editisque speciminibus omnibus, recens creatum Doctorem,
multis de caussis valde commendabilem, nostris iamiam ad-
scriptum, eaque omnia, vt par est, rite peracta fuisse, ma-
ioris fidei causa hocce programmata, sigillo Collegii nostri
firmato, significamus. P. P. Dom. Palmar. MDCCLXXXV.

LIPSIAE EX OFFICINA SAALBACHIA.



Lipzig, Diss., 1795 A-E

1078

ULB Halle
006 609 724

3

SL



1795,1.

579

S
TORIES

E

I O

M A N N O

H I C O C A P I T V L A R I
E M I A E D E C E M V I R O

O R E S


C O L L E G I O

T O

B A V E R O

E O

X X X X V

**Farbkarte #13**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

SENIC

C

P
IOS. LVCATHEDRALIS
COD. PROFESSOR

S V M I

S V O T R

P I

MAVRIT

A. D.